

**Ms**

**dominica**

**in octava**

**pasche tit**

**14 III**





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Bl. 7



# INDEX SCRIPTORUM OMNIUM

Uoluntate hoc comprehensorum ..

- |  |   |
|--|---|
| I. Gratulatio ad Christianum II. Electorem Saxonie Jacobo Scholze I. V. D. | XXI. Disputatio de iusticiis Testamenti D. J. J. J.   |
| II. Oratio Parentalis Jacobo Frederico Duci Saxonie Brege Sabita.          | XXII. De Consciencia Testamenti D. Ambrasi.   |
| III. De Vita et Morte M. Laviani.  | XXIII. Paraphrasis Lyrica Prophetiae Ionae M. Loretan.  |
| IV. Oratio Funebris De Christiano I. Electore Saxonie. Matthaeo Prestero.  | XXIV. Gratulatio Clingerii Imperatori dicata.   |
| V. Oratio D. Hummi Sabita Wuehge in anno Jubilaeo.                         | XXV. Ingressus Wuehge in M. Uolte.  |
| VI. Oratio Liberi ibidem Sabita. 2.  | XXVI. Gratulatio in Nabelem I. Rudolphi Principis Anhaltini Amilungi et in XXII eius de M. Uolte. |
| VII. Oratio D. Person. 3.  | XXVII. Ecloga Rudolphi Bertram.   |
| VIII. Oratio D. Schatomis. 4.  | XXVIII. Elegiam obitum Johannis Brunesti Principis Anhaltini M. Festschi.                         |
| IX. M. Schmitt. 5.   | XXIX. Epitaphium ad Johannem Georgium Principem Anhaltinum Koppin ab Aeterna.                     |
| X. Rhodomanni. 6.  | XXX. Carmen scilicet Theobmanni.  |
| XI. D. Zauyeri. 7.   | XXXI. Her Anhaltinum M. Selini.   |
| XII. Tyrenologia D. Heteri de Vita Hummi.                                  | XXXII. Epithalamion in Nuptias Rudolphi Principis Anhaltini M. Festschi.                          |
| XIII. Examen D. Hummi Praefationis Colloq. qd. Bauarii.                    | XXXIII. In Doctorato Jacobi Hebergs.  |
| XIV. Exoro nup. Salar. M. Martini  | XXXIV. In nuptias Profmanni.  |
| XV. Colloq. in Grewen.   | XXXV. In nuptias Alberti a Wuehge.  |
| XVI. Theses Theologicae de Communi coe Iohannem M. Martini                 | XXXVI. Johannis Crispi.   |
| XVII. Disputatio De Genesi Am. Frantzii.                                   | XXXVII. Christi am. Pinc. Kouu.   |
| XVIII. Disputatio D. Gesneri ex Genesi.                                    | XXXVIII. Martini Zelii.   |
| XIX. Decar. Questionum Medicarum D. Pehsi.                                 | XXXIX. Johannis Gypbi.  |
| XX. De Natura Spiritus Theoretica D. Pehsi.                                | XL. Johannis Modeleri.  |



- XLII. Nostrii Wolfgangi à Berzen.  
XLIII. Petri Mathsoni Wesenberii.  
XLIV. Andreae Orlovitii.  
XLV. Jacobi Imgei.  
XLVI. Galerii Rudigeri.  
XLVII. De Olivo Bernharti Brüssli.  
XLVIII. Anhaltini Berghami.  
XLIX. D. Andreae Raurarii.



XIV.  
IACOBI MARTI-  
NI, HALBERST. SAXONIS.

EIKONOMOPHΩΣΙΣ.

hoc est,

*Discursus Philosophicus de Imaginibus*

quo

DEMONSTRATUR EADEM  
planè necessitate, quâ à nonnullis tolluntur & de-  
struuntur Imagines, tolli simul scripturam,  
auditum verbi, ipsamq; lectionem  
& meditationem rerum  
sacrarum,




VVITEBERGÆ,  
*Typis M. Georgij Mulleri,*  
Anno M. D. XCVII.



GENEROSO NOBILIS-  
SIMO ET AMPLISSIMO VIRO, ERU-  
DITIOE & VIRTUTE CLARISSIMO, DN. GEBHARDO  
DE ALVENSLEBEN, LVDOLPHI Filio, DN. in HVN-  
DESBURG, Calbe, Newengatersleben,  
Friedeburg, &c.

Domino ac patrono suo omni observantia  
dignissimo S.

 Fero tibi, vir Generose & Nobilissime, Domi-  
ne & Patrone unice honorande, discursum meum Philoso-  
phicum de I M A G I N I B V S. Et licet quidem I L L A S  
tollendi necessitas à Præceptoribus meis Reverendis & clarissimis ger-  
manico scripto superioribus septimanis in lucem edito, sit planè sabla-  
ta, & profligata adeo, ut ad illius fundamenta Adversarij in præcon-  
cepta sua opinione execrabili perseverantes (quicquid etiam nescio quæ  
vespertilio magis reprehensione, quam refutatione digna obganniat &  
deblateret) in æternum ne xv quidem respondebunt: tamen scholasti-  
ca hac disquisitione, ex rebus naturalibus petita, breviter idem confir-  
mare visum fuit, simulq; monstrare, quod negando Imagines, testes  
mundum, testes Creaturas omnes, testes seipsos recusent, cum omnia per  
I M A G I N E S & in sensu & intellectu concipiantur. Atq; hoc quic-  
quid est laboris T I B I, inquam, vir Nobilissime, non quidem Præco-  
ni, sed Patrono, non ut prædices, sed ut iudices, offero. Alijs iudicium  
forte tribuerem, sed veritus illud, quod in Platonis Gorgia Socrates, ne  
veritatem dicere velint, eò quod vel ab ea dudum defecerint, vel mei cu-  
ram, non ut Tu geris, gerant. Accipe ergo benignissimo vultu hoc qua-  
lecunq; animi grati indicium. Facio enim quod debeo & possum, ut hac  
dedicatione mei saltem erga te animi charactere expresso, cætera ad  
commodius tempus à me reservari, animum inducere queas. Vale.

T.

Gen: Observantis:

M. I. M.



# EIKONOMORΦΩΣΙΣ.



Quatuor sunt, quæ se mutuo consequuntur: RES, CONCEPTVS, VOCES & SCRIPTVRA siue LITERÆ. Et licet quidem Conceptus non sint Res ipsæ, neq; Voces ipsi Conceptus, neq; literæ scriptæ voces, multo minus conceptus: tamen quando Conceptus, voces & Literæ non rebus correspondent, oritur fallacia & decipimur. Offeruntur enim falsæ IMAGINES & falsa Phantasmata, quibus fit, ut homo opinetur aliquid esse id, quod non est. Semper itaq; scriptura significet voces, voces conceptum, conceptus deniq; idem rem eandem denotet. Nam quemadmodum RES eadem apud omnes ( non autem numero, sed vel specie, vel sub ratione signati, id est, qualem denotat rem conceptus hic; talem & denotat alibi, cum quælibet res apud omnes per suam naturam innotescat ); ita conceptus siue νοήματα vel παθήματα τῆς ψυχῆς ( licet γράμματα non sint πᾶσι τὰ αὐτὰ, ὅδε φωναί ) ubique coincidunt. Atq; hoc propterea: Nam quæ proferuntur tantum sunt signa et Symbola, nō à naturâ, sed κατὰ σωθῆκω τῶν ἀνθρώπων hoc vel illud significantia. In alijs enim atque alijs populis siue gentibus, linguâ & sermone diuersis, alia subinde atque alia sunt: conceptus autem mentis & παθήματα, à re ipsa efficiuntur, suntq; effectus naturales, concurrente nempe Intellectu agente. Nam propriissimè loquendo Intellectus abstrahit à re νόημα: Verum naturalis ille rei effectus est naturalis suæ causæ similitudo, datq; suam causam intelligere, hoc est, Conceptus est tale rei simulacrum, quod facit ut rem illam intelligere queamus. Per conceptum enim, quid res ipsa sit immediatè declaratur. Si itaque Conceptus Rem naturaliter significat; erit apud omnes indifferens. Naturale enim est, quod apud omnes homines eandem habet rationem, & invariabile est, quemadmodum urere igni inest & apud nos Germanos & apud Persas. Quicumq; autem ponit Conceptum, ponit utiq; IMAGINEM, cum Conceptus vel νόημα rei nihil aliud sit, quam similitudo & imago eius in animo expressa. Quod etiam vel inde manifestum est, quando, quomodo Intellectus speciem concipiat, exponimus.



I. Post.  
Analyt. 1.

Intellectualis nostra cognitio oritur ex sensu, siue is sit  
Auditus, siue Visus, siue alius. Sensus namq; naturâ & cognos-  
cendi ordine prior est Intellectu. Nam Mens humana de re  
quadam scientiam acquireret nunquam, si non ejusdem ex sensu  
rudimenta cognitionis acceperit. Rectè enim dicitur, deficien-  
te sensu aliquo, deficere quoq; scientiam de ejus sensibilibus,  
quemadmodum à nativitate cæcus colorum, surdus sonorum  
&c. scientiam habere nequit, utcunq; animo sit perspicacissi-  
mo. Atq; hæc est ratio, quare sensus Græcis αἰσθησες tanquam  
ἐιδέσασθαι dicantur, quod objecta externa per eos ad Mentem de-  
portentur, cui alioqui eorum notitia semper carendum esset. A  
sensu itaq; incipit omnis cognitio humana, & in sensibus re-  
posita omnis experientia, atq; beneficio horum objecta indi-  
vidualia percipimus, ex quibus in Intellectu (ut paulo post  
declarabitur) vniuersalia formantur. Quare sensus circa  
αἰσθητὰ occupatus, primum recipit, non quidem, verbi gratia,  
auditus verba tantum, sed vna cum illis species. Nam quando  
Ego Germanus & Zabarella Italus intuemur Leonem, Speci-  
em & Imaginem ejusdem uterq; impressam sentimus, licet in  
vocibus sit discrepantia, Mihi enim Leo est λέων / Zabarellæ ve-  
ro Leone. Vnde & ab Aristotele lib. 2. de anima cap. 12. Sensus  
dicitur id, quod habet vim recipiendi Species sensiles sine ma-  
teriâ, quemadmodum cera accipit Imaginem annuli sine ferro.  
Non enim Sensus in corpore, sed solo accidente patitur: Nā  
non substantia agit in oculum, sed Color. Est autem Species  
sensilis S I M V L A C R V M & I M A G O siue EFFIGIES,  
quæ rem objectam sensui representat, quâ mediante sensus ob-  
jectum percipit. Effigies has sensus recipit non tam agendo  
quam patiendò. Atq; hoc est, quod legimus apud Aristotelem  
lib. 2. de anima: Manifestum est, inquit, quod αἰσθητικὸν non  
fit in actu, sed in potentiâ tantum. Et iterum cap. 2. de sens. &  
sens. τὸ γὰρ αἰσθητὸν ἐνεργεῖν ποιεῖ τὴν αἰσθησιν: Sensibile facit,  
vel causa est, ut operetur sensus. Sic color, qui visus objectum  
est, facit operari visum, hoc est, deducit visum ad actum. Facit  
enim ut visus in se recipiat & habeat actu sensibilem coloris  
S P E C I E M pingendo et imprimendo ei S I M I L I T V D I-  
N E M. Eodem modo potentia factiva non sentit ante, quam  
objectum calidum vel frigidum ejus qualitatis speciem tactus  
organæ



organo imprimi. Atq; hæc est causa, quod non simpliciter quando volumus, sentiamus, quemadmodum intelligimus, quando volumus: Intellectus enim semper habet sua objecta in Phantasia præsentia: Objectum autem sensus externum potest abesse, Absentium vero sensus non est.

Sensus sunt duplices; Externi & Interni, Externi quinq;: VISVS, AUDITVS, ODORATVS, GUSTVS, & TACTVS, per hos primum fit sensatio, quando nempe sensibilia objecta offeruntur sensibus, quæ in ipsis quandã speciem & Imaginem, quemadmodum usu venit in speculo, imprimant, ut quando oculo obijcitur LEO singularis, infigit in ipso IMAGINEM, quæ Philosopho dicitur species sensibilis, per quam speciem sensus postmodum cognoscit rem objectam. Hos sequuntur sensus Interiores, de quorum numero inter Philosophos non convenit. Hi duo autem ad instituti nostri expositionem sufficiant: κοινή αἰσθησις sensus communis & δῶαμις φαντασική, facultas imaginandi. Sensus communis, qui instar centri est in circulo, ad quod omnes lineæ ductæ à circumferentia æqualiter feruntur, primum species sensiles per sensus exteriores acceptas colligit, atq; horum actiones non tantum concipit (Aristot. de Som. & vigil. cap. 2) quod munus commodè dici potest Simplex apprehensio Sensibilium specierum: Verum etiam diversorum sensuum sensibilia distinguit, ut Calorem à colore, frigiditatem à sono &c. (Arist. lib. 3. de animâ cap. 2.) Hoc nonnullis dicitur comparatio sensibilium. Ob præstantissimas has functiones dicitur sensus communis, item αἰσθησις αἰσθησεων sensus sensuum. Est enim communis Iudex omnium illorum, quæ à sensibus particularibus proficiscuntur. Dicitur etiam sensus agens, cum exteriores sint propriè patientes. In hoc enim communi sensu demum completa & perfecta fit ἐνεργεια sensitivæ potentiæ. Unde tertia resultat hujus sensus operatio, nempe quod cognoscat ipsum externorum sensuum actum & operationem, ut nimirum animal sciat & intelligat se sentire, videre, gustare, &c.

A sensu communi species sensibiles deferuntur ad δῶαμις φαντασικήν, ibi contentæ nomen mutant, dicunturq; φαντάσματα, latinis visa vel spectra. Per SPECIES hæc & IMAGINES facultas hæc cognoscit res externas etiam absentes, cum



**SIMILIMÆ SINT PICTVRIS**, verbi causâ, quibus exprimitur Nativitas, Passio & Mors Domini. Has enim quando intueor, cognosco Nativitatem, passionē, & Mortem DOMINI jam diu esse præteritas. Inde cum audisset Iacob nunciū de filij Ioseph interitu, & vestem ejus cruentam aspexisset, istas SPECIES apud se retinuit, ut quoties vellet post multos annos memoriâ repetere posset.

Hujus sensus officia potissimum duo numerantur: Vnum concipere & custodire SPECIES sive IMAGINES, vel immediatè à sensibus; vel propria effectione perceptas, quæ fictio tamen oritur ex diversa conceptarum specierum compositione Alterum easdem vel sensui communi vel in Rationalibus etiam Intellectui offerre, sive in vigilijs, sive interdum in somnijs. Atq; hinc quoq; non immerito causa Appetitus statuitur: Nam Canis, qui semel gustavit offam, sæpè eam appetit & quærit currendo per culinam & similia loca: quoniam Phantasia & memoria retinuerunt SPECIEM ejus, gustu impressam.

Hactenus SENSATIO, quæ tota fuit in IDEIS, PICTVRIS, FIGVRIS: Sequitur nunc ipse INTELLECTVS, Nam IMAGINES illæ à Phantasiâ ad rationem, mentisq; officinam deferuntur, ubi perfectissimæ demum scientiæ & notitiæ elaborantur.

Quia intellectus conjunctus & vnitus est corpori, impeditur, ut simpliciter & se ipso intelligere nequeat, quemadmodum alias, quando secretus & separatus est à corpore, se ipso intelligibilia percipere & cognoscere potest. Extra corpus enim est simpliciter Actus, vel simpliciter intellectus: in corpore compositionem nonnihil admittit: purus enim & simplex actus non est, sed cum potentiâ agendi patiendiq; junctus. Vnde hoc modo consideratus, partim se ipso, partim adminiculo alterius intelligere dicitur Intellectus. Se ipso quidem: quatenus Actus est & secretus: quatenus verò in corpore inclusus, adminiculo sensuum intelligit. Principium igitur, quo homo intelligit, duplex colligitur; alterum formale & efficiens; alterum subjectum & quasi materiale. Illud intellectus agens; hoc *vovē d'wáue*. Intellectus potentiâ Aristoteli dicitur. In omni namque re & naturâ, quæ fit, & aliquando in potentiâ est, aliquando in actu, quædama causa

*Arist. lib.  
3. de ani-  
ma.*



causa efficiens est, & est materia sive subiectum quoddam  
patiens. Quocirca cum anima humana, quæ in se spiritualis  
essentia est, aliquando *δωάμε* tantum intelligens sit, aliquan-  
do actu intelligat, quoties intellectio sit, duo hæc principia,  
nempe subiectum *ἐνέργειαν* intelligendi primò recipiens & ef-  
ficiens sive causam formalem, statuere oportet. Est itaq; intel-  
lectus *δωάμε* vis animæ, quâ omnia potest intelligere. Vnde  
& nomen accepit, quod actu & *ἀπλῶς* nihil intelligat, nisi ad  
actum intellectiois deducatur. Ob eandem penè rationem  
dicitur quoq; *ἄνευ παθητικῶς* intellectus passibilis, passivus. Nam  
quemadmodum in sensu passio dicitur, quando *αἰσθητὰ* reci-  
pit: ita & in intellectu passio quædam est, quando *νοητὰ* S P E-  
CIES INTELLIGIBILES recipit. Atque propterea  
quoq; intellectus hic ab Aristotele rasæ tabulæ similis esse di-  
citur, cui scientia inscribi & appingi quidem potest, nulla vero  
notitia vel noëmata inscripta conspiciantur. Quando enim  
nobiscum in vitam hanc prodit nullas omnino *νοητὰς* S P E-  
CIES vel IDEAS, nuda suâ naturâ & essentiâ contentus,  
habet, quod animadvertimus in infantulis, qui essentiam intel-  
lectus & *δωάμε* ejus talem, qualem modo descripsimus, ha-  
bent, usum verò nondum possident. Vnde meritò Platonis  
opinio rejicitur, qui species & habitus omnes animæ innasci  
docuit. Huic intellectui quando SPECIES impinguntur  
& ex potentia in actum ducitur, vocatur *ἄνευ ἔξε* intellectus in  
Habitu. Habitu enim *νοητῶν* jam est præditus, quo, quando  
vult, uti potest. Hoc modo ornatus PICTURIS & IDEIS  
intellectus, partim in potentiâ adhuc, partim in actu esse dici-  
tur. In actu quidem, quatenus nimirum aliquas Species, per  
quas intellectio perficitur continet: atq; hic actus primus vo-  
catur: In potentia verò, quatenus illam actionem non exer-  
cet. Cum autem, ut Ens nobilissimum, habitu illo non sit con-  
tentus, ad actum secundum procedit, quæ est operatio intelle-  
ctiva, & fit tribus modis, Simplicium Notionum abstractione,  
earundem compositione & tandem discursu, ex compositis e-  
nim postmodû intellectus discurret & ratiocinatur. Cum autē  
nullas in se naturâ habeat impressas species, ut modo explica-  
tum est, oportet illas aliunde acquirat. Non autē potest eas ac-  
quirere à sensibilibus rebus, vel etiâ ab ipsis sensibus, Nam sen-  
sibilia



sibilis & quæ in sensibus sunt Phantasmata, sunt singularia, unde non actu sed tantum potestate intelligibilia dicuntur. Intellectus enim universalium tantum est capax. Hinc celebris & famosa sensus & intellectus est differentia: Sensus est singularium; Intellectus est universalium. Requiritur itaque adhuc alia quædam vis intellectus, cuius operâ potentiâ intelligibilia reddantur actu intelligibilia: quoniam quod est in potentiâ per aliquod agens sibi proportionatum ad actum trahi debet, cum potentia in actum non nisi actu reducatur & tanquam animeatur; veluti cum Semen vi Solis in herbam adolescit, aut nucleus in arborem. Et vim hanc intellectivam intellectum agentem diximus, qui secundum substantiam suam Actus est, vel ut Aristoteles loquitur, ἡσία ὅν ἐνέργεια, hoc est, substantia ejus est, ut actu sit ens, & tantum virtus activa. Operatio hujus est duplex; alia est χωρίζειν, qua SPECIES Intelligibiles à Phantasmatibus, vel à SPECIEBUS sensibilibus in Phantasiâ impressis, abstrahuntur: altera est φωτίζειν, qua continuè illuminat & quasi fulgore suo irradiat SPECIES in patiente receptas. Quæ tamen actiones temporis quadam intercapedine distinguere nequeunt, nam & illuminando species intelligibiles abstrahere rectè statuitur. Unde intellectio hunc in modum fieri dicitur: Intellectus agens Phantasma in vi imaginandi contentum illustrat, ex quâ illuminatione fit, ut in Phantasmate Rei natura ἀπλῶς sine accidentibus & proprietatibus individualibus appareat. Quâ illuminatione existente SPECIES communis illustrata sub accidentibus & proprietatibus individualibus delitescens, aliam sibi similem SPECIEM, ejusdemque naturæ, quæ SPECIES INTELLIGIBILIS dicitur, in intellectu possibili imprimit, per quam imaginem & speciem intellectus possibilis intelligit ipsam rei naturam, eamque universalem. In universalibus deinde discurret & ratiocinatur.

Habuimus itaque, & vidimus hætenus IMAGINES, PICTURAS IDEAS &c. Rerum & in Sensibus exterioribus, & in Interioribus, & in ipso intellectu.

Quibus ita constitutis, hanc ponimus Thesin: Quicumque negat & tollit in rebus sacris imagines & picturas simpliciter; eadem necessitate negat & sensationem & intellectionem, quæ absque

absque



absq; figuris & imaginibus non sunt. Et porro, qui negat intellectionem, negat & nomina, verba & orationes, quæ voce exprimuntur, & consequenter tollit auditum verbi, & lectionem sacrarum literarum, cum hæc mutuò se consequantur, RES, NOHMA, VOX, ET SCRIPTURA sive pictura. Scriptura enim significat voces; nam juxta scripturas possumus proferre voces & secundum prolationem vocum scribere: & vicissim vox significat conceptum in animâ: alias enim nihil possemus per vocem exprimere: conceptus autem efficitur à re ipsa, ut statim ab initio indicauimus. Atque hic conceptus iterum & literis & pictura in tabula exprimi potest.

Thesin hanc præmissis, ut fundamentis certissimis & immotis inniti demonstrandum nunc est. Biblicæ FIGURÆ imagines & picturæ, unde sunt sumptæ? certè ex scripturâ ejusque vocibus. Per has enim IDEAM concepit pictor, verbi gratia, crucis CHRISTI collocatæ inter duos Latrones: Spiritus Sancti in specie columbæ; item DEI patris, qui ut Senex depingitur vel describitur Dan. 7. Ut autem concepit mente, ita deinde, quemadmodum scriba suis, ita & ille suis literis, hoc est FIGURIS & PICTURIS in tabula describit & exprimit. Et sane eadem ratio, tantùm in accidentibus discrepans, hic est Scribæ, Oratoris & Pictoris. Quemadmodum enim scriba rem literis; Orator elocutione; ita pictor figuris rem eandem depingit. Si itaque peccatum non est Scriptura & vocibus IDEAS mente conceptas, sive illæ sint humanæ sive diuinæ depingere; certè peccatum quoque non erit lineis easdem & picturis describere & demonstrare, atque id vel maximè, cum Picturæ & imagines propius ad essentiam Idearum animo conceptarum accedere videantur, quam ipsæ literæ aut voces. Nam quemadmodum Ideæ & conceptus apud omnes conveniunt: ita & picturæ sive imagines hæ apud omnes eadem sunt, licet in nonnullis accidentibus & qualitatibus differant.

Porro diximus, quod quæ à lingua sunt secus se habent. Non enim à naturâ, sed à σαωθίκῃ, δέσει καὶ νόμῳ τῶν ἀνθρώπων valent, nec apud omnes eodem modo se habent. Interim tamen sub σαωθίκῃ nos in Ecclesiâ Confusionem Linguarum

B

guarum



Gen. 2, 19.

guarum Babilonicam à DEO immediate immiffam non negamus, quod cum Platone Aristoteles ignoravit. Respicimus itaque vel ad arbitrium temporis, usum & valorum vocabulorum sibi venditantis ceu nummorum & jam hoc vel illud significatum ponentis, jam hoc jam illud vocabulum adstruentis, jam abolentis, haud aliter atque literæ ipsæ tam secundum Gentes varias, quam secundum varia tempora mirè variant; vel etiam respicimus ad primævam nominum impositionem ab Adamo præstitam. Vbi certè Adamus ex arbitrio proprio Bestijs nomina indidit, expressè enim textus: Formaverat, inquit, IEHOVA DEV Sex terra omnem bestiam agri, & omne volatile cæli, & ADDUXERAT ad Adamum, ut videret, quid vocaret illa: & quicquid vocaret illi Homo, illi inquam, Animæ viventi esset nomen ejus. Adduxerat inquit textus, nempe ut intueretur Bestiam Homo, conciperetque ejus IMAGINEM, per quam ejus naturam judicaret, atque ita congruum nomen imposeret. Hoc fundamentum rectè pensatum demonstrat principia picturarum priora esse principijs vocum & literarum, atque consequenter picturas potentiâ priores esse vocibus & literis, & si non vocibus certè literis. Nam picturæ immediate quasi respondent ideis mente conceptis. Quemadmodum enim, ut hætenus demonstratum est, mentis *παρρηματα* & quasi *ὁμοιώματα* naturaliter se habent, & ob id apud omnes omnium locorum & temporum uniformia: Nam quale simulacrum Rosarum cum Græco intuens concipit Germanus, tale & Græcus: eodem modo picturæ non differunt. Et quæritur hîc, an facilius picturâ Adamus, an vero scriptura vel nominibus delineare quamlibet bestiam potuisset. Picturâ respondebunt, qui sensu saltem præditi sunt. Nam pictura ubique Ideæ per se respondet; nomina verò & voces non sunt enim ex concepta idea ratiocinando & dijudicando colligenda. Si itaque nomina fuerunt in potestate Adami sive hominis, Ergo multo magis literæ ex iisdem ideis vel potius picturis ortæ.

Demonstravimus quoque supra Intellectum sensuum adminiculo indigere, nihilque in Intellectu esse, quin prius in sensu fuerit. Nunquam enim Adamus etiam adhuc in statu integritatis constitutus, naturam, figuram, nomina & rerum  
creata.



creatarum vel ipsius DEI intellexisset, nisi creatæ Bestiæ ad-  
ductæ fuissent, sensuq; illas percepisset, nisiq; DEVS singulari  
apparitione tum essentiam, tum voluntatē vel extrinsecus per  
signa & figuras, quæ in sensus incurrunt, demonstrans, vel in-  
trinsecus loquens (quod licet singulare fuerit, tamen absque  
Ideis esse non potuit) reuelasset. Potestas quidem ante lap-  
sum perfecta dijudicandi res omnes in sanctitate, iustitia & ve-  
ritate in Adamo fuit concreata, quemadmodum hujus δωά-  
μωσ quædam vis, licet infinitis subjecta tenebris, in homine  
post lapsum est relicta: non autem propterea à prima statim  
origine innatas illas habuit Ideas, per quas perfectè erat in  
sanctitate & iustitia, (qua naturaliter erat præditus homo)  
judicandum & ratiocinandum. Hoc vel inde quoque manife-  
stum est, quod non quidem antequam adducta erat Eva de es-  
sentia ejus vel etiam nomine sollicitus est Adam, sed quando  
jam adducta astat, eamq; intuetur, inquit: Hac vice os ex os-  
sibus meis & caro ex carne mea, propterea vocabitur Virissa,  
quia ex viro sumpta est illa, Concepit itaq; intuens Euam, Ima-  
ginem mulieris, per quam deinde judicabat, Et licet quidem  
Regula illa ante lapsum simpliciter vera non sit: Imago enim  
illa DEI, quæ in sanctitate, Iustitiâ & veritate consistebat,  
erat revera aliquid in mente humanâ, cum ea indutus homo  
DEO placebat, post lapsum tamen (post lapsum autem lite-  
ræ sunt inventæ) semper verum est, nihil esse in intellectu,  
quod non prius fuerit in sensu, Si itaque literæ sunt characteres  
mente formati, oportet prius fuerint in sensu (licet non secun-  
dum totum, tamen secundum partes; omnia enim figmenta  
Intellectus entia sunt, & juxta Fonseca inâmum inter entia  
obtinere gradum rectè dicuntur, quamvis eo modo, quo ficta  
existant in intellectu, non sint extra intellectum). Nam quo-  
modo lineas & puncta, quibus literæ primum diversimode  
sunt compositæ, inveniri & excogitari potuissent, si lineæ non  
darentur in sensu, eodem modo & puncta? Lineæ autem istæ  
item puncta, quomodo concedentur in sensu, nisi per ideas abs-  
tractas? Cum itaque Ideæ illæ simpliciter sint priores operatio-  
ne intellectus, sensatio enim prior est intellectu, vel etiam  
operatione facultatis φανταστικῆς, unde postmodum literæ sunt  
ortæ & excogitatæ, manet adhuc picturarum fundamentum



& principium naturâ prius esse, fundamento literarum. Vnde etiam, qui primum literas excogitarunt, non nudas lineas; verum per illas, res quasdam extra mentem vel arte vel naturâ existentes, exprimere voluerunt, quod antiquissimæ linguæ, Hebrææ nimirum tum nomina tum figuræ abundè testantur. **א** Aleph enim caput bovis, quod aliquo modo repræsentat, & quidem magis tum, quando à primo inventore primum scribebatur (variata enim esse literas in nonnullis accidentibus extra controversiam est,) denotat, unde Græcum, & Mathematicum signum Tauri,  $\tau$ . Sic **ב** Beth Domus, quam figurâ suâ imitatur, Chaldæi dicunt Betha, unde Græcum nomen  $\beta\eta\tau\alpha$ , quod inversum & aliquo modo repræsentat figuram Hebrææ literæ **ג**, **ג** Gimel, quasi **גמל** Gamal, Camelus, repræsentat enim collum Cameli. Caldæi dicunt Gamla, Græci omittunt L & scribunt  $\gamma\acute{\alpha}\mu\mu\lambda$ , quæ litera græca inversa  $\lambda$  aliquomodo  $\lambda$  repræsentat. Atque ita consequenter ordine, à figuris & notis desumptæ sunt literæ. Quo non obscure euincitur adhuc ipsas picturas causas & fundamenta præbere literis. Quod autem integras & perfectas Imagines, Capitis Tauri, cameli, clavæ &c. scribendo non retinuerint, causa reddi facilimè potest. Nimis enim odiosum foret in singulis vocabulis tot imagines integrè depingere. Ut itaq; promptior esset scriptio, tantum notas quasdam illarum Imaginum retinuerunt, quemadmodum Astronomi, ne semper cogantur signa cœlestia suis imaginibus, quas representant, describere, notas certas, illas qualicumque modo exprimentes excogitarunt, ut  $\text{♌}$  signum hoc aliquo modo libram, hoc  $\text{♊}$  geminos hoc  $\text{♓}$  pisces, &c. delineat. Nihilominus tamen antequam compendiaria hæc scribendi ratio inventa, & postmodum indies magis magisque exulta est, notis & imaginibus perfectioribus usi sunt Antiqui. Fuerunt enim sacra apud Ægyptios monumenta, non literis vocabula, sed sculptis rerum animaliumque figuris significata, quæ  $\text{ἱερογλυφικὰ}$  dicta sunt. Ut autem Ægyptij (utor verbis Angeli Caninij Anglarensis) varijs animalium rerumque similitudinibus naturâ artève constantium orationem explicabant; sic Hebræi, quorum lingua & origo longè est Ægyptijs antiquior, pro Literarum figuris, res aliquas notas ac luculentas accuratissimè imitari sunt, calamoque adumbrarunt.

Quæri-



Quærimus itaq; nunc, quid melius, quidve convenien-  
tius sit, an picturâ simpliciter secundum apparitionis modum  
res divinas proponere, an vero notis illis à Tauris, Camelis,  
ædificijs &c. desumptis easdem describere? Illud mecum eli-  
gent omnes qui mente valent; propius enim ad essentiam &  
naturam apparitionis accedit: hoc vero longius recedit, Nam  
quid caput Tauri, collū Cameli &c. commune habent cum re-  
bus illis sanctissimis. Cum itaq; propterea Deus scripturam  
non prohibuerit, verum approbaverit, illisq; characteribus  
ipsemet sit usus in describendis decem verbis: ita picturas has  
& imagines repudiavit nunquam, sed illis frequentius, quam  
characteribus hisce in apparitionibus fuit usus, quod testantur  
omnium Prophetarum visiones, Iuxta Jacobi, ubi in specie &  
imagine viri adest Deus; Apocalypsis Iohannis, quæ tota in  
imaginibus & figuris consistit &c. Et sanè in veteri Testamen-  
to, quid aliud erant ritus & Cæremoniæ Mosaicæ, quam ima-  
gines, picturæ & umbræ omnium illorum, quæ futura erant in  
Novo Testamento? Falsum itaque est, quod nonnulli obje-  
ctant, imagines & picturas prohibitas esse, literas vero & figu-  
ras approbatas; Falsum est, inquam, Literæ enim ex picturis  
sunt ortæ: qui itaq; probat effectum, causam quoq; probet ne-  
cessum est, & qui concedit consequens, antecedens quoq; lar-  
giatur oportet. Deinde miris modis scriptura laudat artem  
pingendi & sculpendi: quod autem laudatur, ut laudatur, ita  
approbatur. Imò, ut modò diximus, ipsemet Deus in Ecclesia  
imaginibus usus est, illisque admodum semper fuit delectatus,  
Infers; abusum autem maximum illarum esse. Sed adverte-  
tu: Abusus non tollit rem. Longè major abusus est ipsius ver-  
bi divini. Pessimè eo abutuntur Magi, item in papatu Exor-  
cistæ; Quantus est abusus Evangelij Iohannis apud supersti-  
tiosas vetulas, quando illud à collo pendent, quo morbos fa-  
nari persuasum habent? Quid de ipso IEHOVÆ nomine  
Sacrosancto dicamus? quid de sacramentis? nonne illis, etiam  
qui membra viva veræ Ecclesiæ esse volunt pessimè abutuntur  
jurejurando, maledicendoque? quid adhæc? Num propterea  
verbum Dei, sacramenta, ipsumq; Nomen IEHOVÆ, circa  
quæ maxima committuntur scandala, & quidem majora &  
plura quam circa ullam aliam rem, sunt abroganda & è me-  
dio tollenda? *ἔτι πον.* B 3 Dices:



Dices: Illa quæ supra de Ideis in Mente humana existen-  
tibus collata ad picturas disputata sunt, vera tantum esse de re-  
bus Physicis, humanis, & mundanis, non verò de divinis, cum  
hæ neutiquam perfectè sub intellectum humanum cadant. Ve-  
rum attende: Distinguendum quidem est inter Noëmata à re-  
bus naturalibus & humanis concepta; & quæ à divinis desu-  
muntur imagines: Attamen imagines & Ideæ sive Noëmata in  
rerum divinarum contemplatione planè tolli non possunt, ni-  
si similes esse velimus Equis & Mulis, qui nihil intelligunt,  
Psal. 32. Hæc enim si tolluntur, tollitur simul intellectus, acci-  
ditq; nobis, quod Virginibus Vestalibus, quæ Psalmos legunt  
& relegunt, dant autem sine Mente & Intellectu sonum, unde  
lectio talis nihil illis prodest; ut ex illis, quæ supra de intelle-  
ctu disputavimus, satis constat. Ut itaq; locutiones de Deo sunt  
intelligendæ: ita etiam conceptus inde orti, horumq; conse-  
quenter imagines. Loquimur autem de Deo ad captum hu-  
manum humano more: locutiones verò primùm sub humano  
intellectu conceptæ, humano iudicio humanitùs metiendæ  
non sunt. Nullum quidem de Deo sermonem edere possu-  
mus, qui non à rebus creatis desumatur, quique proprietates  
rerum creatarum rationi nostræ quodammodo explicabiles  
primùm non suggerat: Attamen tantum manet discrimen in  
rebus ipsis, quantum est inter Creatorem infinitum, & creatu-  
ram finitam. Quocirca quicquid de Deo dicitur, aut mente  
concipitur, id primò quidem considerandum est, tanquam de-  
sumptum à rebus creatis, sub intellectum mentis humanæ ca-  
dentibus, atque ita metiendum ut gignat aliquod *νόημα*.  
Deinde, verò ad naturam divinam ita est accommodan-  
dum, ut Dei naturæ conveniat, Invisibiliaque Dei visibilia  
non reddat, Infinitumque finitum non faciat. Atque illud est  
quod ex rebus creatis Invisibilia Dei dicantur intelligi, quan-  
do ex Mundi creatione æterna tum potentia, tum essentia ac-  
cipi pronuntiatur, ad Rom. I. vers. 20. Eodem, inquam, modo  
de imaginibus, quæ Noëmatum à rebus divinis conceptorum  
fructus & similitudines sunt, iudicandum. Nempè non sunt  
colendæ & afficiendæ honore divino: Verum quemadmodū  
illa in Phantasia hærentia Noëmata nobis obijciunt vitam,  
res gestas, passionem, mortem, resurrectionem, ascensionem &c:  
ita



ita hæ picturæ & Imagines ad nihil aliud nobis profint, quàm  
ut repræsentent & nobis eadem in mentem revocent, & ma-  
xime illis, qui literas non intelligunt. Vnde Picturæ rectè à  
Domino Luthero Idiotarum dicuntur Biblia. Quemadmo-  
dum enim nos, qui literas novimus, ex literis historiam Chri-  
sti; ita illi ex ejusmodi Ideis depictis concipiunt. Et rectè in-  
quit Prudentius: Historiam P I C T V R A refert: quæ tradi-  
ta libris. Veram vetusti temporis monstrat fidem. Quod non  
tantum ad prophanas historias referri potest; verum & de di-  
vinis intelligendum est. Nam & illæ picturæ in rebus sacris  
non secus ac in mundanis adminicula sunt memoriæ. Cujus  
rei vivum habemus exemplum in Rubenitis & Gaditis.

Manet itaque firma & immota posita nostra Thesis: Si  
Imagines necessariò sint tollendæ, eâdem planè necessitate  
tollendam scripturam. Scriptura enim has imagines continet,  
nullaque est absque pictura; imo quæ tota ex picturâ orta est:  
tollendas simul esse voces & orationes, hoc est conciones.  
Quod enim est in scriptura, illud etiam est in vocibus; tolli-  
tandem ipsum intellectum & Rerum divinarum meditatio-  
nem. Hæc enim non est absque Ideis & picturis, quæ propius  
ad externas imagines accedunt, quàm ad literas. Quicumque  
itaque concedit Sacrarum literarum intelligentiam & medita-  
tionem; qui concedit voces, hoc est sacras conciones; qui  
concedit denique scripturas, illarumque lectiones, concedat  
utique, tolerari posse I M A G I N E S.

*F I N I S.*









Nh 1236.

oo

f

ULB Halle 3  
 002 819 279



an 31 nur verknüpft JA → OL  
 H-5 40 Stück  
 F23


VD 17 ne











XIV.  
IACOBI MARTI  
NI, HALBERST. SAXONIS.  
EIKONOMOPHΩΣΙΣ.

hoc est,

*Discursus Philosophicus de Imaginibus*

quo

DEMONSTRATUR EADEM  
planè necessitate, quâ à nonnullis tolluntur & de-  
struuntur Imagines, tolli simul scripturam,  
auditum verbi, ipsamq; lectionem  
& meditationem rerum  
sacrarum,



VVITEBERGÆ,  
*Typis M. Georgij Mulleri,*  
Anno M. D. XCVII.

